



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 153. Galli Seminariae cœsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

**Sæcul. XVI.** bi persuadebat Consalvus, dummodo secundus quoque armorum successus coluderet. Equidem ad hoc usque temporis punctum Gallorum conatibus ferme semper prospera adspirabat fortuna, brevi tamen tota rerum facies immutata erat: concurrebat enim ad Gallorum ruinam ipsius Regis sui negligentia, qui nimia in Archiducem fiducia sopitus, reliquos belli apparatus prætermisit: Ferdinandus ex adverso rebus suis optime prospiciens, Gallos pacis, quam ipse servare minime cogitabat, securitate decepit, suasque partes strenue firmavit, ac denique ad malorum cumulum accessit Gallici exercitus Belliducum temeritas.

## §. CLIII.

*Galli Seminarice cæsi.*

Inter hæc factum est, ut Albinus certaminis impatiens ferocius quam cautius, atque inexpectatis subsidiis in Francia instructis in mediam irrueret aciem, cui præerat Hugo Cardonius. Inconfiderti hujus impetus specimen etiam edidit Albinus die vigesima prima Aprilis prope Seminariam in Calabria, eodem in loco, qui paucos ante annos Gallis victoriæ campus exstitit. Ast nunc vix prælio datum erat initium, cum Galli, spreto efficaci Ducis sui hortatu, perruptis eorum



Sæcul. XVI.  
A C 1503.  
Marian. ib.

eorum ordinibus, cæsi fugatique recederent, ac nequidem primum Hispanorum impetum sustinerent, cum vero secunda quoque Gallorum acies, quæ peditibus constabat, ferme omnes equis suis dejectos conspiceret, hostium turmis cingerebatur, unde nec etiam gladio e vagina educto una omnes fuga dilapsi sunt, Hispanis fugitivos usque ad Gioiæ portas presso pede insequentibus. Capti sunt ferme omnes Belliduces, ac Tribuni, nec benigniorem sortem tulit ipse Albinus, intra Angitolæ arcem, quo se receperat, undique cinctus, quem quidem ne Hispani occiderent, reverentia cohibiti fuerunt, arcem tamen non armorum vi, sed famis violentia ad deditiōnem compellebant; equidem arx nonnisi ad tertium aut forte quartum diem commeatu instructa erat, annonam tamen Albinus tam provide distribuebat, ut decem, aut omnino duodecim diebus præsidarii alerentur: demum vero Albinus captum se dedere coactus est, toto pene Equitatu sese protinus Victoris arbitrio relinquente.

§. CLIV.

*Consalvus Barulo Cerignolam delatus.*

Postera die Nemosii Dux accepto Gallicæ cladis nuncio prælii discrimen  
 E e 2 *Marian. ib. n. 104. Guicc. l. 5.*